Ostrowski Remigiani: Donaria Parnassi vivcntis — Stanislao Gaiowski oblata

DONARIA
PARNASSI VIRENTIS
Ipſa die Celebritatis anuuæ S. Staniſlai Epiſcopi Crac. & Martyris.

Generoſo & Magnifico Domino,

D. STANISLAO GAIOWSKI,
Pro tunc Exactori Generali Cōtributionū Publicarū Palatinatus Crac.

A

REMIGIANO OSTROWSKI,
Auditore Philoſophiæ in Alma Acad. Crac.

Debitæ obſeruantiæ, & animi apprecantis ergò
OBLATA,

CRACOVIÆ,
Typis Antonij Wośinſki: Anno D. 1635.

263.

In Stemma antiquum DD. G.



SVb pedibus gazas linquens, ad Syderis arces,
Hæc referens, Ales tendit Amica Iouis.
Diuitias depressa tuas, Tibi terra teneto:
Gaiouii pietas Sydera celsa petit.

Generoso & Magnifico Domino,
D. STANISLAO GAIOWSKI, *Dño Affini & Mecœnati colendissimo.*

Remigianus Ostrowski. Aud. Ph. in Al. Ac. Cra. Perp. fælic. precatur.

IVstissimus, & vel ipso S. Spiritus testimonio commendatissimus Noachus, cum terram, ob fœdissimarum voluptatum turpitudinem, graui & inaudito percussã supplicio, ad pristinum sui splendoris decus & ornamentũ redire sentiret, iamq; trepidũ pedem efferre meditaretur, emissæ columbæ officio ramum oliuæ, certissimũ pacis Symbolum reportauit. Nec ego, vt opinor Generose & Magnifice Dñe Affinis, aberrabo: si Te quoq; Pelagus quoddã & quasi diluuium curarum & solicitudinũ, quibus nostra vita est exposita, emensũ esse libera voce confitear; á quibus tamen vniuersis dum Natalem Tuum quâ addecet transigis hilaritate, quasi in quodam portu & quiete non sine spe & præsagio fælicioris successus mihi cõsistere videris. Quâ equidem tempestate, cum indecorum & quasi subrusticum fore præuiderem, silere & (quod aiunt) pisce magis mutũ esse: Donaria hæc è Virentis Parnassi nemore, Musæ meæ operâ & studio decerpta Tibi adfero. Quæ, cum omnem prosperitatem portendere & augurari aduertas: tanquã benignioris fati tesseram, eâ quâ par est fronte, animum, non tenuitatem Metri expendens libens lubensq; accipe. Vale: Datæ ex Contubernio Iagelloniano Cracouiæ, ipso die Sancti Stanislai, Anno Domini 1635.

Gñosæ. & Magñfæ. Dñis Tuæ addictissimus:
Idem qui supra.

DONARIA
PARNASSI VIRENTIS.
PALMA.

Nescit cedere ponderi.

PRima Tibi Palmã, Mecænas, magne Camæn
Portat, Idumeæ dona decusq́, plagæ.
Quippe hæc, Ætneum robur si flectier vrget,
Victrix, consueto tramite celsa petit.
Et licet, inuicti cumulet ramosa labore
Corpora, perpetuo, stipitis Æolides.
Nititur in vetitũ semper, celebrisq́; stupendo
Aduersum, victrix, robore spernit onus.
Hoc igitur vireas Mecænas robore Palmæ,
His longùm maneas viribus egregius.
Flexerit infidum, si curuo calle rotatum;
Sors homines cæcis ludere sueta malis.
Sæuiat, occulti, si vis malesana doloris,
Tristitia & vires exerat ipsa suas;
Si Phlegethontæas, mundi regnator opaci,
Mittat iuratas, in Tua busta faces.
Victor, Olimpiacæ par, vincito pondera Palmæ,
Illa Solum spernit, tu quoq́; sperne Solum.

Viue,

Viue, & Præſuleæ Diuos virtutis honores
Aſpice, de cuius nomine nomen habes.
Hoc teneas? preſsus forti ceu robore Palma,
Contendes linquens Sydera celſa Solum.

LAVRVS.

Telo fœderata polari.

MVſarum Domus, & decus diſertæ
Clarum Phocidos, artibus coruſcus
Parnaſsus: precioſa mittit ecce
Mecænas tibi dona, ſume, Laurum:
Cui non feruida fulgurantis aſtri,
Et non igniuomi Poli, ſariſsa
Vnquam prælia comparat: ſed axi,
Firmo fædere colligata floret.
Hac te conſpicuum coronâ Virtus
Mecænas, Pietatis efficit Patroni,
Toto pectore, quã exprimis, pedẽ nec
Vitâ Præſulis amoues fidelem.
Quare libera fulminent, crepentq;
Tela terrigenûm, caput tuumq;
Impugnent; vacuus timore ſemper
Tanto ſub clipeo Vigebis omni.

Quod ſi belliferi Ducem laboris
Poſcis? quàm Intrepidus præit Patronus?

OLIVA.

Pacis Symbola certa fero.

MEcænas atauis oborte claris,
Spes, & Præſidium, Decusq; ſtirpis
Magnæ: ſi indicium cupis fauoris,
Quo iuſsu polici tegare Regis
Dum cymbâ generoſus in doloſi
Nauta, climatis, æquore adlaboras:
Ne ſortis rabidæ, tumultuoſi
Fluctus, Te reprimant, cibumq;
Orco (Dîj teneant malum) capaci
Immittant; Helices require ſignum,
Felix & nitidum ſequaris aſtrum,
Stanſlaiq; pius, pio, ſacratos
Manes pectore conditos honeſtes.
Iſto Sydere, clarius Polona
Non Lumen regio tenebat vnquam.
Sed fati indicium viden benigni?
En quam paciferæ, virentem Oliuæ
Prætendit tibi docta Muſa, ramum.
Eia, haud ſpernito, & ominis fauentis
Mecænas cape, teſſeramq; pacis.

Cedr

Nestoreos non timet ista dies.

Procul rapacis prodromꝰ sit funeris,
Et antesignanus fidelis; arduæ
Frutex Cupressi: siue quando Numina
Pater perosus sæua dictis increpat,
Speiq; frustra sæpe pleno pectore
Expers petitæ, filio plorat Vale.
Seu dū Nepotum, Mater optati gregis
Vacua, paratum dotis aspicit decus,
Gratumq; solamen senectæ filiam
Auersa, edaci consecrat solo hostiam.
Te grande Mecænas coronabit decꝰ,
Cedrus, supini & gloria Libani.
Quā non edaci blatta dente dissecat,
Nec longiori tempus vrget sæculo.
  Sic tu Patroni celsa Sanctimoniæ
Si culmina ambis; alta Cedrus Libani
Semper virebis, quin vire, felix vire.
Te magnus astrorū, patentis & soli
Rector nitenti Syderis spectās domo,
Fætum benignis faciat annis viuere.

Te fata norint, Parca nõq; debile
Sed ſtamen aptet diſsecari neſcium.
Et qui coruſco Præſul inuectus polo
Vallatus aſtris deſpicit terram pede,
Te propriĵ clarum monili Nominis,
Vmbrâ fauoris ſemper occultum velit.
His Muſa Mecænas, tibi clamoribus,
Gratatur, almũ quãdo nomẽ Stãſlai,
Dilecta Spõſo, Spõſa Chriſto cantitat,
Floreſce Mecænas, Vige, Felix, Vale.

DEO Opt. Max. & Beatiſsimæ Cælorum, Terræq; Imperatrici, Honor & gloria, in ſæcula.
AMEN.